quintadecuma ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum, illa morti depoſcit, quintadecumani tuentur, nî miles Nonanus preces, & [a] aduerſum aſpernantis minas interieciſſet. Hæc audita, quanquam abſtruſum, & triſtiſsima quæque maximè [b] occultātem Tyberium perpulere, vt Druſum filium cum primoribus ciuitatis, duabusque prætoriis cohortibus mitteret, [c] nullis ſatis certis mādatis, ex re conſulturum. & cohortes delecto milite ſupra ſolitum firmatæ. Additur magna pars prætoriani equitis, & robora Germanorum, qui tum cuſtodes Imperatori aderant: ſimul prætorii præfectus Aelius Seianus collega Straboni patri ſuo datus, magna apud Tyberium autoritate, [d] rector [1] iuueni, & cæteris [e] periculorum, præmiorumque oſtentator. Druſo propinquanti quaſi per officium obuiæ fuere legiones, non lætæ (vt adſolet) neque inſignibus fulgentes, ſed inluuie deformi & vultu, quanquam mœſtitiam imitarentur, [f] [2] contumaciæ propiores. Poſtquam vallum introiit, [g] portas ſtationibus firmant: globos armatorum certis caſtrorum locis opperiri iubent: cæteri tribunal ingenti agmine circumueniunt. Stabat Druſus, ſilentium manu poſcens. illi [h] quoties [2] oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis ſtrepere: rurſum [i] viſo Cæſare, trepidare. [k] murmur incertum, atrox clamor, & repente quies, diuerſis animorum motibus [l] pauebant terrebantque. Tandem interrupto tumultu literas

1 Sic lib. 1. hiſt. rarus per vias populus, mœſta plebs, deiecti in terrā militum vultus, ac plus triſtitiæ, quàm pœnitentiæ. & lib. 4. nemo ſupplici vultu, ſed triſtes, & truces, &c.

2 Sic lib. 1. hiſt. ſed plurima ad fingendum, credēdumque materies in ipſis caſtris, odio, metu, &, vbi vires ſuas reſpexerāt, ſecuritate.

### OBSERVATIONES.

a *Hæc eſt optima ratio componendarum litium, cùm res ad arma ſpectat, vt, qui vtrique parti optimè conſultum cupit, aduerſus vtramque adhibeat preces, vt amicè quicquid eſt controuerſiæ dirimatur. Mox vbi parum procedit, vt precibus quicquam profici poſsit, aduerſus aſpernantes minas interiiciat, quibus deterriti ferociores arma ponant, & concordiam amplectantur.*

b *Prudenter facit princeps, ſi non triſtiſsima quæque vulgat, ſed ea quàm maximè fieri poteſt, occultat.*

c *Vbi periculum eſt in mora, quàm maxima celeritate fieri poteſt, princeps quò res poſtulat, legatos mittere debet, nullis ſatis certis mandatis, (nam cur mandet, ſi, quid mandandum ſit, neſcit?) ſed ex re præſenti quod facto opus erit, conſulturos.*

d *Adoleſcentibus, quibus res magnæ ſunt commiſſæ, dandi ſunt rectores.*

e *Qui pericula idem præmia oſtentare debet. quicquid ſecus fit, præter æquum fit.*

f *Vultus triſtis non ſemper mœſtitiæ, ſed interdum contumaciæ index eſt. idem indicauit de Romanorum demiſſo vultu, fixiſque in terram oculis Ofilius Calauij Ouij Campani filius, vt eſt apud Liu. lib. 9. hiſtor. ab vrbe cond.*

g *Qui in ſua poteſtate locum aliquem retinere ſtudet, portas ſtationibus firmet, & globos armatorum certis locis diſponat.*

h *Seditionis authores quoties oculos conuertunt ad multitudinem ferocem, & contumacem, vocibus truculentis obſtrepunt; inde enim ſuo furori opē & auxilium ſperant. nimirum, accidit plerunque, vt exercitus contemplatus frequentiam ſuam (vt eſt apud Paterc. lib. 2. hiſtor.) à diſciplina deſciſcat, & quod cogere ſe putat poſſe, rogare non ſuſtineat.*

i *Aſpectus principis (mirum dictu) ſeditioſiſsimum, & ferociſsimum quemque terret.*

k *Multitudo adeò eſt diſcolor, vt ex ea murmur incertum, atrox clamor, repente etiam quies, effectus diuerſorum animi motuum oriantur.*

l *Hæc eſt natura multitudinis, vt, vel tum maximè cùm terret, paueat.*